



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,  
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1678**

Inquisitoris sententia contra combustos in Massilia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14688**



tibi concedimus tenore præsentium potestatem. Volumus insuper & apostolica auctoritate decernimus quòd à data præsentium tibi sit in præmissis omnibus & singulis præsentibus & futuris perpetuata potestas & jurisdictio attributa, ut eo vigore illaque firmitate possis in præmissis omnibus cæptis & non cæptis præsentibus & futuris procedere ac si jurisdictio tua in prædictis omnibus & singulis per citationem vel alium modum perpetuata legitimum extitisset. Datum Avinionis VII. Idus Novembris, pontificatus nostri anno secundo.

*Inquisitoris sententia contra combustos  
in Massilia.*

Vide Nicolaum Eymepi in Directorio Inquisitor. par. 2. q. 15. c. 4. & q. 18.

**I**N nomine Domini nostri Iesu Christi amen. Noverint universi præsentis pariter [ & futuri ] quòd cum nobis Michaëli Monachi ordinis Fratrum Minorum Inquisitori hæreticæ pravitatis in Arelatensi, Aquensi, Ebredunensi, & Viennensi provinciis auctoritate apostolica constituto, ex parte & de mandato Reverendi Patris Fratris Michaëlis dicti ordinis Generalis Ministri per ipsius Ministri nuntios ad hoc specialiter destinatos præsentati fuissent Iohannes Barrani de partibus Tolosanis, Deodatus Michaëlis, Guillelmus Sautonis Presbyteri, & Poncius Rocha Diaconus de partibus Narbonensibus, & quidam alij præfati ordinis solo nomine professores, qui in iudicio constituti coram præfato Generali Ministro pertinaciter asseruerunt quòd sanctissimus Pater & Dominus Dominus Iohannes divina providentia Papa XXII. non habuit nec habet auctoritatem nec potestatem faciendi quasdam declarationes, com



missiones & præcepta contenta in quadam constitutione sive decretali per ipsum Romanum Pontificem de consilio sacri collegij Dominorum Cardinalium diligenti & matura deliberatione præhabitis edita ad Dei laudem, beati Francisci præconium, ejusque præfati ordinis pacem, consolationemque fidelium, quæ incipit *Quorundam*, & quòd ipsi Domino Papæ non tenebantur obedire, maxime in eo quòd ipse in ipsa constitutione virtute obedientiæ & sub excommunicationis pœna mandavit quòd prænominati Iohannes, Deodatus, Guillelmus, & Poncius, eorumque complices quosdam habitus curtos & strictos à communitate memorati ordinis discrepantes, quos assumpserant, deponerent, & aliis secundùm ipsius Generalis Ministri arbitrium sive judicium induerentur, ipsique Generali Ministro in habitu & forma sive figura habitus & quæstu bladi & vini pro vitæ necessariis fratrum, etiamsi reponenda essent in granariis & cellariis conservanda, & in omnibus aliis & per omnia secundùm beati Francisci regulam & declarationes editas super eam & constitutionem sive ordinationem ipsius Domini Papæ Iohannis humiliter obedirent, & pertinaciter asseruerunt illam blasphemiam in sanctam sedem Romanam, videlicet quòd ea quæ in constitutione sive decretali de habitu & quæstu & similibus mandabantur, erant contra consilium Christi evangelicum & eorum votum de altissima & evangelica paupertate quam Christus servavit & Apostolis ac professoribus evangelicis imposuit ad servandum, & quòd nulli mortalium cum secuta conscientia in his poterant obedire, prout in instrumento publico confessionis prædictorum Iohannis, Deodati, Guillelmi, & Poncij nobis per eundem Generalem Ministrum transmissio colligitur evidenter, & idem



Generalis Minister præfatum Inquisitorem cum instantia requisivisset, nobisque mandasset, ut tam ex officio nobis injuncto quam etiam ex auctoritate ejus, in quantum ad ipsum spectare reperiretur, super iis quæ in ipso instrumento confessionis prædictæ & aliàs de fide catholica & omnibus quomodolibet pertinentibus ad prædicta prænominatos studeremus examinare eosque punire & condemnare prout justitia suaderet; super quibus & dependentibus & connexis & ea quomodolibet contingentibus commisit nobis totaliter vices suas, prout in ejus patentibus litteris continetur. Nos illius inhærentes vestigiis qui convincit ex ore proprio servum, prænominatos Iohannem, Deodatum, Guillelmum, & Poncium in judicio coram nobis constitutos interrogavimus sigillatim utrum persisterent & perseverarent in responsione & confessione prædicta quam coram præfato Generali Ministro fecerunt. Qui sigillatim specialia responderunt quòd in ea persistebant & quòd nihil de contentis in ea revocare volebant. Et ad specialia descendentes interrogati singulariter responderunt quòd præcepta eis facta quòd habitum curtum & strictum, quem assumpserant, dimittant, & alium communitatis fratrum accipiant, non tenent seu obligant, quia sunt contra Christi evangelium, & quòd illud quod præfatus Dominus Papa in dicta constitutione declaravit & diffinivit de granariis & cellariis est contra consilium evangelicum, & quòd non credunt ipsum in iis habere potestatem vel auctoritatem, & quòd ipsi Domino Papæ in his nullatenus obedirent, nec possent cum sana conscientia alicui mortalium obedire. Et insuper coram nobis constituti protestati sunt verbo & in scriptis quòd stant & stare intendunt usque in diem judicij in protestationibus, appellationibus,



& adhaesionibus per eos interpositis sive factis vel approbatis à quibusdam mandatis ex parte praefati Domini Papae factis per fratrem Stephanum Alberti Ministrum fratrum Minorum provinciae Provinciae, quamvis ostensum fuerit eis per nos & saepius & frequenter in ipsis protestationibus & appellationibus contineri infra scriptos errores, & fidei evangelij, auctoritati Ecclesiae, & praefati Romani Pontificis repugnantes. Videlicet quod illud quod est contra regulam fratrum Minorum observantiam & intelligentiam est per consequens contra evangelium & fidem, aliàs non esset penitus quod regula evangelica, & quod nullus mortalium potest eos cogere ad deponendum ipsos habitus curtos & strictos & alios communitatis assumendum, & quod ipsos habitus curtos & strictos impugnare est verbo & facto Christi evangelium & ejus regulam impugnare, & quod praecipua eis facta quod ipsos habitus dimittant & alios assumant, ut dictum est, non tenent nec obligant, quia sunt contra evangelium, & ex iis sequeretur & sequi posset destructio vitae Christi, & quod illi qui procedunt contra ipsos ut dimittant ipsos habitus sunt in errore contra veritatem evangelicae regulae, & per consequens evangelij & fidei, & quod ipsos propter hoc condemnare est Christum de Synagoga eicere, ut ex nunc nemo sit ausus confiteri puram observantiam regulae in ista congregatione, ne de synagoga eiciatur, id est, ne ex hoc graviter puniatur. Qui quidem errores graviter impingunt in gloriosum Ecclesiae primatum cunctis nationibus percolendum, immo in ipsum Christi evangelium, in quo beato Petro & per eum successoribus dictum est: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in caelis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in ca-*



lis. & teste canone qui quodcunque dixit nihil excepit, & in evangelicam doctrinam docentem quod Christus habuit oculos, & in fidei nostrae sinceritatem tenentem & prædicantem quod conservare in futurum pro necessitatibus sanctorum non obviat evangelio sed consonat, & tenentem & docentem quod nulla regula religiosorum æquanda est evangelio, cum evangelium Christi sancta universalis atque Romana Ecclesia propter eminentissimam ejus auctoritatem nec mutet nec corrigat nec confirmet, sed veneranter suscipiat, & suavissimo illius jugo promptæ obedientiæ colla submittat, regulæ verò prædictæ & quorumcunque religiosorum omnis tenor & vigor sic à Romanæ sedis potestate manat ut nulla sit ejus auctoritas quæ ab indulgentia seu confirmatione sedis apostolicæ non decurrat. Non faceret igitur Romanus Pontifex contra evangelium & fidem Christi, etiamsi statueret contra, mutaret, vel tolleretur ipsam regulam; nec est ipsa regula idem quod evangelium, sed est quædam vitæ laudabilis forma à Romanis Pontificibus approbata & confirmata, ipsorum declarationi, mutationi, & omnimodæ dispositioni simpliciter & absolute subjecta. Dicitur verò erroribus palam & publice pluries per præfatos Iohannem, Deodatum, Guillelmum, & Ponticum confessatis & propositis in judicio coram nobis, ipsos multoties & multoties per nos & multos alios salubriter & piè monuimus quod hos errores pestiferos revocarent & abjurarent & redirent ad fidei catholicæ veritatem quam Romana tenet & docet Ecclesia & ad præfati sanctissimi patris Domini Papæ & sedis apostolicæ obedientiam & mandata. Quod ut melius fieret, habuimus solemnia consilia multorum Episcoporum & Prælatorum & aliorum plurimum magistrorum



& baccalariorum in sacra pagina professorum necnon ferè omnium auditorum sacri palatii aliorumque magnæ auctoritatis virorum, quæ prædictis omnibus æstimatis ostendi & legi fecimus sigillis ipsorum Prælatorum, magistrorum, & consulentium pendentibus & eorum subscriptionibus roborata: qui omnes judicaverunt articulos quos prædicti asserunt hæreticos, & pertinaces eorum asserores fore sicut hæreticos judicandos.

Præter hæc, Reverendus pater Dominus Raymundus Massiliensis Episcopus per nos reverenter & humiliter requisitus præfatis obstinatis ostendit quòd ea quæ asseriebant erant hæretica & contra evangelium, & eos caritativè monuit quòd omnes errores revocarent. Sed, quod majus est, procuravimus quòd per aliquos Dominos Cardinales fuit prædictis pestiferis legitimè facta fides quòd præfatus sanctissimus & Dominus Dominus Iohannes Papa in consistorio Minorum Cardinalium, lecto coram eo prædicto publico instrumento, in quo continebantur confessiones per eos factæ coram præfato Generali Ministro, oraculo vivæ vocis dixit ipsas eorum confessiones esse hæreticas, & eos sicut hæreticos, & fautores eorum sicut fautores hæreticorum censendos fore & etiam fore judicandos. Qui etiam Domini Cardinales ipsos pestiferos, quantum potuerunt, monere & inducere sunt conati quòd à prædictis eorum hæresibus resilirent. Ipsi verò filij Belial, Pharaonis imitati duritiam, & obturantes ad hæc omnia more aspidis aures suas, nec blandis monitionibus allici potuerunt, nec testimoniis scripturarum divini & canonici juris cedere, nec Prælatorum, professorum, aliorum magistrorum sacrae paginae, & auditorum sacri palatii, & aliorum juris peritorum consiliis credere voluerunt, nec etiam frangi justis



terroribus potuerunt, sed elegerunt in suis erroribus inflexibiliter permanere. Quocirca cognita eorum damnabili pertinacia, ipsis terminum peremptorium assignavimus præsentem diem ante Tertiam ad diffinitivam sententiam audiendam. Nos igitur frater Michaël Inquisitor auctoritate apostolica constitutus ut supra, cui etiam præfatus Dominus Raymundus Massiliensis Episcopus super iis ad cautelam commisit totaliter vices suas juxta formam constitutionis editæ in Concilio Viennensi, non valentes nec volentes hujusmodi hominum peritulentium inobedientias, contumacias, rebelliones, & apertos errores fidei catholicæ & potestati & auctoritati Papæ & Ecclesiæ Romanæ apertissimè repugnantes dimittere impunitos, & attendentes quòd prædicti filij tenebrarum totiens oblatam sibi Dei & Ecclesiæ misericordiam contempserunt, immo sic à se repellere eligunt quòd nec periculum timere corporum sed affectare se dicant, nec futurum Dei judicium vereantur, ut in eis impleri videatur scriptura divina dicens, *Qui caritatem veritatis non receperunt ut salvi fierent, mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, & judicentur omnes qui non crediderunt veritati sed iniquitati nequiter consenserunt, cum sciamus & videamus quòd per impunitatis audaciam fiant, qui nequam fuerant, quotidie nequiores, visis & diligenter inspectis erroribus, culpis & demeritis prædictorum, habitoque cum multa maturitate consilio super dictis eorum erroribus plurimum Prælatorum & in sacra theologia professorum & utriusque juris peritorum, assistentibus quoque nobis ad hæc præfato Reverendo in Christo Patre Domino Raymundo Massiliensi Episcopo & pluribus aliis Prælatis & religiosis ac personis litteratis inferius annotatis, supradictos Iohannem Barrani, Deodatum*

Cap. 2. de  
hæret. in Cle-  
ment.



Michaëlis, Guillelmum Sautonis, Poncium Rocha, quia non tantum Papæ & sedi apostolicæ obedire contemnunt, sed etiam auctoritati & potestati à Christo ei traditæ & evangelicæ veritati pertinaciter & obstinatè repugnant, quia perfectionem evangelicorum consiliorum Christi in quadam monstruosa deformitate vestis & in nihil in futurum reservando à viris evangelicæ perfectionis vitam ducentibus esse confingunt, ac per hoc sanctos & beatissimos patres religionum, & inter ceteros sanctum Ludovicum, quem constat fuisse præfatæ regulæ professorem, à vita perfectionis evangelicæ faciunt alienos, quia scripturam evangelicam perversè intelligendo & exponendo ad erroris sui sensum trahunt, quia post salubres exhortationes & inductiones ratione plenas in profundum omnium malorum descendentes, in suorum errorum perversitate pertinacissimè & obstinatè persistunt, pro tribunali sedentes, Christi nomine invocato, & sanctis ejus evangeliiis positiscoram nobis, per hanc nostram diffinitivam sententiam, quam ferimus in iis scriptis, pronuntiamus hæreticos & pestilentissimorum assertores dogmatum judicamus, & eos tamquam hæreticos ab omnibus ecclesiasticis ordinibus degradandos, & ipsis degradatis exnunc prout extunc, eos iudicio relinquimus seculari, & prædicta auctoritate apostolica monemus semel, secundò, terriò, & peremptoriè universos & singulos utriusque sexus, cujuscunque religionis vel ordinis, aut cujuscunque status, conditionis, dignitatis, vel gradus existant, & sub pœna excommunicationis inhibemus ne aliquis præfatos errores præsumat defendere vel tenere, vel defendentibus seu tenentibus impartiri consilium, auxilium, vel favorem. Quicumque autem secus fecerint, credentes, tenentes, & defen-



dentes, velut hæreticos, & faventes tenentibus seu defendentibus, velut fautores pravitatis hæreticæ, excommunicationis vinculo in iis scriptis auctoritate apostolica, qua fungimur, innodamus. Et quia constat nobis quod præfati errores immo hæreses manifestè processerunt sive originem habuerunt à venenato fonte doctrinæ immo veriùs seductri-  
 næ quam frater Petrus Iohannis Olivi Biterrensis diocesis super Apocalypsi & in quibusdam eius opusculis contra honorem sanctæ Romanæ Ecclesiæ & auctoritatem eiusdem temerè scriptitavit, & doctrinam ejus & libros dicti fratris Petri tamquam continentes & dogmatifantes errores fidei catholicæ & sacramentis ecclesiasticis ac statui, honori, & auctoritati Ecclesiæ Romanæ & præsidium eidem plurimum adversantes, fuisse per præfatum ordinem de consilio etiam plurium magistrorum in sacra pagina reprobatos & condemnatos ac etiam igni adjudicatos, & attendentes nihilominus quod præfatus sanctissimus Pater & Dominus Dominus Iohannes Papa certis ex Dominis Cardinalibus & quibusdam in sacra pagina magistris examinationem prædictorum librorum commisit, & quod absolum nimis esse videtur quod ipsi Petro Iohannis (qui de erroribus adversantibus fidei catholicæ, honori & auctoritati summi Pontificis Vicarij Iesu Christi & sanctissimæ sedis ejus, diù est graviter & à personis maturis & peritis notatus, maximè à Prælati, magistris, Ministro & communitate fratrum dicti ordinis, qui præfati Petri Iohannis & doctrinæ ejus lubricos colles & tortuosas semitas exploratiùs cognoverunt) sicut sancto seu viro approbato & catholico reverentia exhibeatur, & quod hujusmodi reverentiæ exhibitio in derogationem reverentiæ fidei catholicæ & sententiæ super dicta

Vide infra  
 pag. 213,



doctrina & libris dicti Petri Iohannis per ipsum Dominum Papam ferendæ verti posset, maximè si contingeret ipsos processus & sententias factos & prolatos per dictum ordinem contra sæpeditos doctrinam & libros per sedem apostolicam confirmari, vel doctrinam ipsius Petri Iohannis sententiam excipere graviolem, ideo auctoritate prædicta, qua fungimur, præcipimus pro primo, secundo, tertio termino peremptorio, monentes omnes & singulos, cuiuscunque sexus, conditionis, status, aut dignitatis existant, quòd pendente dicto negotio coram præfato Domino Papa & eius sacro collegio nullus præsumat prænominato Petro Iohannis tamquam sancto aut viro catholico & approbato reverentiam exhibere. Si quis autem secus præsumpserit attentare, in his scriptis eum excommunicationis vinculo auctoritate qua fungimur innodamus.

Insuper cùm etiam nobis constet Bernardum Aspa dicti ordinis solo nomine professorem afferuisse quòd præfatus sanctissimus Pater & Dominus Dominus Iohannes Papa XXII. non habuit potestatem nec auctoritatem statuendi quæ in sæpedita constitutione de granariis & cellariis sunt statuta, & in hoc nulli obediendum esse credebat, cùm ea assereret Christi consiliis obviare, & licet per nos detentus de huiusmodi assertione se dixerit pœnitere, & quòd non credebat præfato Domino Papæ obediendum in iis quæ in prædicta constitutione sunt statuta, quia tamen requisitus pluries quòd errorem huiusmodi secundum morem solitum & debitum abjuraret, hoc facere pertinaciter & contumaciter recusavit, quamvis eidem jurisperitorum consilia ostenderimus quòd abjuracionem facere huiusmodi tenebatur, idcirco in iis scriptis diffinitivè pronuntiamus & judica-



mus ipsum Bernardum perpetuò immurandum ac ab omnibus ordinibus degradandum, & quòd in detestationem tanti criminis duas cruces crocei coloris, unam antè in pectore, aliam post inter scapulas in superiori veste perpetuò debeat deponere. Quòd si de dicto muro sive carcere fugeret, vel portare huiusmodi cruces recusaret, eo degradato ipsum tamquam impœnitentem & hæreticum curiæ relinquimus seculari.

Lecta, pronuntiata, & sententiata fuerunt prædicta per præfatum fratrem Michaëlem Inquisitorem secundùm formam & modum superiùs annotatos, præsentibus & audientibus prædictis Iohanne, Deodato, Guillelmo, Poncio, & Bernardo, in cimiterio beatæ Mariæ de aquis curtatis Massiliæ anno Domini MCCCXVIII. Indictione prima, die VII. Maij, pontificatus sanctissimi Patris & Domini Domini Iohannis divina providentia Papæ XXII. anno secundo, in præsentia & testimonio Reverendorum patrum Raymundi Episcopi Massiliensis, Scoti Episcopi Convenarum, & religiosorum virorum fratrum Raymundi Abbatis monasterij Silvæcanæ, Andini monasterij de Ybelnia diocesis Massiliensis, Bertrandi Prioris claustralis monasterij sancti Victoris, Bertrandi Prioris Montis vivi, Hugonis Prioris conventus fratrum Prædicatorum, Bertrandi Gardiani conventus fratrum Minorum, Iohannis Subprioris conventus fratrum ordinis Eremitarum, Artaudi Subprioris conventus fratrum Carmelitarum Massiliensium, & venerabilium Dominorum Raymundi Archidiaconi Massiliensis, Bertrandi Sacristæ Cavallicensis & Officialis Massiliensis, Guillelmi Præpositi Regensis, Iacobi Sacristæ Massiliensis, & fratrum Iohannis de Verunis, Iacobi Radulphi, & Iacobi de Campis Lectorum ordinis Minorum, & multorum



rum aliorum testium ad hoc specialiter vocatorum  
& rogatorum.

Qua sententiâ prolata, & coram clero & populo civitatis Massiliæ solemniter publicata, idem frater Michaël Inquisitor illico præfatum Reverendum Patrem Dominum Raymundum Episcopum Massiliensem humiliter requisivit ut ad degradationem prædictorum hæreticorum & damnatorum procederet secundum formam à sacris canonibus constitutam. Qui dictus Dominus Episcopus Massiliensis ad hoc faciendum se promptum obtulit & paratum, & ibidem & eadem die in continenti induit se pontificalibus, ac si deberet ordines celebrare; & parato ibidem altari, ac assistentibus sibi præfatis Episcopo, Abbatibus, Prælatibus, Prioribus, Subprioribus, & religiosis personis, necnon nobilibus viris Dominis Raymundo de Villanova Milite Vicario civitatis Massiliæ, Gauffiido Berengarij juris civilis professore iudice palatij, Alberto de Tizonis iudice, Alberto Curaterij iudice appellationum, Hugonè Pandulphi iudice curiam civitatis Massiliensis, Stephano Martini iudice terræ Domini Episcopi Massiliensis, jurisperitis ad hæc per præfatum Dominum Massiliensem Episcopum convocatis, supranominatos hæreticos iudicatos fecit coram se præsentari indutos & paratos ac si deberent in suis ordinibus solemniter ministrare, & eos prius monuit & induxit quòd deberent à suis erroribus resillire. Et cum hoc facere pertinaciter recusassent, quemlibet eorum singulariter secundum formam à canonibus traditam degradavit, spoliavit, ac exuit omni ordine, beneficio, & privilegio clericali, eisque sic degradatis & exutis, caput cujuslibet prædictorum hæreticorum radi fecit, sic quòd nullum seu clericatus vestigium remansit penitus in eisdem. Et sapedic-



tos Iohannem, Deodatum, Guillelmum, & Ponticum hæreticos degradatos & iudicio seculari relictos prædictus Vicarius & Rogerius de sancto Martino Subvicarius in suum forum receperunt. Et supradicti Domini Episcopus Massiliensis & frater Michaël Inquisitor ipsos Vicarium & Subvicarium rogaverunt ut citra mortis periculum circa ipsos hæreticos studerent suam sententiam moderare. De quibus omnibus & singulis supradictis prædictus Inquisitor petiit cum magna instantia sibi fieri unum vel plura publica instrumenta per Guillelmum Amelij & fratrem Rogerium de Arcio Notarios publicos ad hoc per prædictum Inquisitorem electos.

Acta fuerunt & facta prædicta supradictis diebus & loco, & præsentibus testibus & Notariis superioribus nominatis.

Et ego frater Iacobus de Campis testis prædictus de mandato prædicti Inquisitoris prædicta scripsi, & prædictas duas interlineatas, scilicet *defendentes & in iuro*, manu propria scripsi. In quorum omnium testimonium sæpèdictus Inquisitor sigillum sui officij duxit præsentibus apponendum.

Et ego prædictus Guillelmus Amelij auctoritate imperiali & comitatum Provinciae & Forcalcherij Notarius publicus prædictis omnibus rogatus interfui, ac de ipsis publicum instrumentum de mandato dicti Inquisitoris recepi, & ad confirmationem prædictorum me propria manu subscripsi, meumque solitum signum apposui.

Ego frater Rogerius de Arcio imperiali auctoritate Notarius publicus, qui etiam dum essem in seculo, dictum Notariatum officium exercui publice, prædictis omnibus unà cum dicto Guillelmo Notario & testibus supradictis interfui rogatus, & de mandato præfati Inquisitoris ad fidem & con-



firmationem omnium prædictorum me subscripsi,  
& signum solitum apposui.

**EXECVTIO SENTENTIÆ**  
*contra quosdam hæreticos latae ab Archie-  
piscopo Narbonensi & Iohanne de Belna  
Inquisitore hæreticæ pravitatis.*

**A**Nno Domini millesimo trecentesimo nono  
decimo, Domino Philippo Rege Franciæ &  
Navarræ regnante, die quattadecima Octobris.  
Noverint universi quòd cum Reverendus in Chri-  
sto Pater Dominus Bernardus divina providentia  
sanctæ Narbonensis Ecclesiæ Archiepiscopus &  
frater Iohannes de Belna Inquisitor hæreticæ pra-  
vitatæ à sede apostolica in regno Franciæ deputa-  
tus, sedentes pro tribunali in cimiterio Ecclesiæ  
sancti Felicis Narbonensis, diffinitivè pronuntia-  
verint Magtarellum de Brandis, Petrum sartorem de  
Fraxino, & Bernardum Raimundi de Monefco de  
Tolosa hæreticos fore, & ipsos reliquerint curiæ  
seculari, prout in processibus & sententiis in eos-  
dem prolatis plenius continetur, cumque etiam  
ipfius Domini Archiepiscopi curia temporalis Nar-  
bonensis, seu nobilis vir Raymundus Auterij do-  
micellus Vicarius ipfius, dictos hæreticos ad ma-  
num suam cepisset, & juxta legitimas sanctiones,  
ut dicebatur, deberet fieri executio de eisdem,  
necnon propter debatum quod esse dicebatur su-  
per dicta executione facienda inter dictum Domi-  
num Archiepiscopum & curiam quæ dicitur com-  
munis Narbonæ, ordinatum fuisse diceretur per  
magnificum virum Dominum Iohannem Comitem  
Forefij ad partes linguæ occitanæ pro reformatione

Vide Nico-  
laum Eymeri-  
ci in Direc-  
tor. par. 2. q.  
15.